



1725



Ex Bibliotheca  
BERNHARDI IACOBI SCHUDT,  
I.V.F. sacrae Caesareae Majestatis  
Consilarii actualis nec non  
Consulentis ac Syndici Primarii  
Reipubl. Moeno-Francif.  
Ann. 1780.

VX. 135.



6  
7

CHRISTOPH. MATTHÆI PFAFFII,  
S. THEOL. DOCT. FACULT. THEOL. GIESSENSIS  
ANTECESSORIS ET DIRECTORIS, ACADEMIÆ GIESS.,  
CANCELLARII, ET ECCLES. HASS. GENERALIS  
SUPERINTENDENTIS

ORATIO INAUGURALIS

DE  
PRÆSENTI, QUÆ INTER PARLAMENTUM  
ET  
CLERUM GALLICANUM  
AGITATUR.

CONTROVERSIA,  
RECITATA,

CUM MUNERA SUA ADIRET

GIESSÆ D. 28. MAJI  
ANNI M D C C LVI.



GIESSÆ,  
APUD JOH. PHILIPPUM KRIEGER  
1756.

MAGNIFICE DOMINE RECTOR,  
AMPLISSIMI DOMINI PROFESSORES,  
VIRI SUMME REVERENDI, CONSULTISSIMI,  
EXPERIENTISSIMI, EXCELLENTISSIMI,  
HOSPITES ET AUDITORES, SUIS QUISQUE  
TITULIS CONDECORANDI,  
ILLUSTRES, GENEROSISSIMI, NOBILISSIMI,  
VOSQUE, QUI STUDIIS, QUI ERUDITIONI  
OMNI NAVATIS OPERAM,  
PERCHARA MIHI ET PRORSUS DEAMANDA  
CAPITA!





**I**tane ergò, relictis *Musis Tubingensibus*, cum ad *Gœttingenses*, quæ me vocârant, viam mihi præclusilem ipse, Vos jam saluto, *Giessenses Musæ*? Mira prorsus hæc rerum mearum catastrophe est. Vir ego, senio confectus, septuagesimum enim ætatis annum ago, qui per triginta quinque, & quod excurrit, annos Cancellariatu Tubingenti functus sum, qui per octo ferè lustra plebem academicam docui, tot itineribus per decennium, & quod excurrit, fatigatus re verâ cogitâram, quod superesset mihi vitæ, in bonâ pace & dulci quiete transigere Francofurti. Sed aliter de me disposuit divina providentia, nutus ille, qui cœlitus vias nostras gubernat. Contigit, ut me nil tum cogitante aliud, SERENISSIMUS harum terrarum DOMINUS, quem toto pectore, quicumque sapimus, veneramus & colimus, cum audivisset, me à vocatione Gœttingensi destitisse, quæreret ex me, num Giessam abire vellem *Cancellarius*, addito *Generalis Superintendentis* insigni munere, his in terris inaudito hætenus? Manibus, quod ajunt, palpavi divinæ providentiæ, quæ rebus meis semper invigilavit, digitum. Parui itaque, succedentibus licet aliis propositionibus iisque splendidis, aliorum viam monstrantibus, parui, inquam vocationi clementissimæ, qua nil sanctius, nil divinius cogitari potest. Cum primum SERENISSIMUM nostrum LANDGRAVIUM adirem,

A 2

testa-

restatus est, SE *insinctu* divino motum vocasse me, *divinitus*  
*sibi inditam* esse vocationem hanc, erant hæc Ipsius verba, quod  
 ajunt, *formalia*, quæ recenseo, & quæ, cum secunda vice ipsius  
 copiam haberem, cum emphasi repetiit. Sanctum hoc mihi cal-  
 car addidit, in vestra ruendi oscula, *Giessenses Muse*, jam  
 & *mea*! TE DEUS ALME, quem flexo animi mei poplite  
 invoco, precor, serva, quæso, salva SERENISSIMUM harum  
 terrarum PATREM LUDOVICUM, fac, ut attingat ultimam  
 humanæ ætatis metam, bea Ipsius regimen. Serva, salva SE-  
 RENISSIMUM PRINCIPEM HÆREDEM LUDOVICUM,  
 Ejusque Fratrem Germanum, SERENISSIMUM GEORGIUM  
 GUILIELMUM cum Utriusque SERENISSIMIS Charitati-  
 bus. Serva, salva bonam hanc Academiam, bonarum artium  
 & disciplinarum omnis generis officinam. Auge, orna, mul-  
 tiplica *Musas* hæc nostras *Giessenses*. Vigeat, floreat, per-  
 ennet alma hæc LUDOVICIANA! Restitue, O DEUS,  
 antiquam illustris hujus scholæ gloriam! Serva, salva doctis-  
 simos & præstantissimos, quos in sinu suo illa fovet, Professo-  
 res. Fac, ut illorum studia, illorum opera, quam in eruden-  
 dâ juventute academicâ navant, oppidò sit benedicta, ut  
 crescat, illis docentibus, veritas, pietas, eruditio omnis, &  
 latifundia Universitatis hujus inebriet. Concilia mihi, enixè  
 hoc precor, O ALME DEUS, per Spiritum Tuum sanctis-  
 simum, qui cordium Rector est, Professorum & Collegarum  
 animos, amorem, fiduciam. Beæ, o *summe rerum mearum*  
*Arbiter*, labores meos academicos, ut cedant in NOMI-  
 NIS TUI sanctissimi gloriam, bonum Ecclesiæ Tuæ & Uni-  
 versitatis hujus publicum, atque Auditorum meorum salutem.  
 Vobis, O *mei*, quicquid est in viribus meis, consecratum  
 esto. Vigeo adhuc per Dei gratiam viribus animi, memoriâ  
 & judicio felici, oculi hi mei armis non indigent. Si desit pe-  
 dum vigor, quid hoc ad rem? Pedibus non docteo, sed ani-  
 mo,

mo, sed linguâ. Juvabo vos, erudiam vos, informabo vos, si non *pro virili*, tamen *pro senili*, ætate licet decrepitâ ferè, tamen vegetâ adhuc. Sed expectatis, jam credo, ut ad captandam benevolentiam vestram, *O Giessenses Muse*, & verba quædam inauguralia faciam, quæ viam ad adendum officium meum academicum sternant. Faxo, voti vestri ut evadatis compotes. Dicam, sed paucis, de præsentî, quæ Galliam, quæ Clerum Gallicanum, quæ Parlamentum Gallicanum adhuc vexat, controversiâ, liceat ne juxta libertates Ecclesiæ Gallicanæ sacramenta denegare appellanti bus, hoc est, iis, qui à Constitutione *Unigenitus* dictam ad Concilium generale appellant, & eandem rejiciunt, eaque propter sectæ Jansenianæ se reos facere videntur, porro, quodnam jus Parlamenti Gallicani sit, Sacerdotes, qui sacramenta his denegant, in ordinem redigendi, in eos animadvertendi atque poenis in ipsos grassandi? Credo, multos, cum, quid hanc in rem in Galliâ agatur, audiunt, non valde nôsse controversiæ hujus, litis hujus statum, quem perspicuè, quem paucis enarrabo. Favete auribus, *Auditores*, favete mentibus, atque novum Oratorem patienter audite, si non amœnitate dictionis, brevitate tamen se vobis commendaturum.

Antequam arcem causæ abs me dicendæ invadam, de immunitate Clericorum Pontificiorum à jurisdictione magistratûs politici quædam prælibanda nobis sunt, non quidem ex historiâ ecclesiasticâ, quæ origines, quæ incrementa, quæ tempus pandit, quo ad *ἀκμήν*, ad summum fastigium illa pervenit, nimium hoc foret, migrarem sic orationis meæ limites, sed ex sacris literis, ex quibus immunitatem hanc Ecclesiæ Romanæ Doctores deducere solent. Contraham in compendium, in nervum dicenda. Provocant illi primùm ad Matth. XVII, ubi sub finem narratur, Christum à Petro quæsisse, *quid videtur tibi, num Reges terræ tributum vel censum poscunt à filiis vel ab aliis?*

Respondisse Petrum, *ab aliis saltem*, reposuisse tùm Salvato-  
rem: *Ergò filii sunt liberi.* Supponunt jam Pontificii, Cleri-  
cos laicis contradistinctos *Dei filios* in sensu eminenti esse.  
Ergò, inquit, juxta effatum salvatoris Clerici à jurisdictione  
laicâ liberi sunt. Addunt, Paulum I. Cor. II, 15. in terminis  
asserere, *hominem spiritualem à nemine* scilicet laicorum *ju-  
dicari* vel debere judicari, jam verò solos Clericos *spirituales*  
esse, laicos verò esse *carnales* à *spiritualibus* judicandos. Per-  
gunt, solos Clericos esse peculium Dei, in quod nullam potesta-  
tem, jurisdictionem nullam sibi arrogare magistratus laicus pos-  
sit. Hinc & Christum peculiare forum ecclesiasticum consti-  
tuisse Matth. XVIII, 17, ubi: *Dic Ecclesie* h. c. Episcopis, quale  
sanè in vet. Test. fuerit forum Sacerdotum & Levitarum, qui  
soli Sacerdoti summo fuerint subjecti. Manare hinc & immu-  
nitatem Clericorum à tributis ex bonis immobilibus pendendis,  
cujus exempla in sacris literis extant. Uno verbo: Cùm laici  
oves sint, absurdum esse, Clericos, Pastores, ovibus & ovium  
jurisdictioni subijcere. Quin imò competere potius Clericis &  
in specie Pontifici Romano jurisdictionem in magistratus laicos.  
Ita enim Deum allocutum fuisse Jeremiam: *ecce constituo te  
hodie super gentes & regna, ut confringas, ut vastes, ut  
perdas* Jer. I, 5. Jam verò Pontificem Romanum esse majorem  
Prophetâ quovis, utpote Ecclesie caput. Competere itaque illi  
jus in Imperatores, Reges, Principes, magistratus politicos,  
eorumque personas, subditos, terras, sive *directum* sive *indire-  
ctum*. Quemadmodum Deus duo luminaria cælo infixit,  
*majus*, à quo *minus* lucem mutuetur, ita illum etiam posuisse  
in terrâ duo luminaria, *majus*, quod sit Pontifex Romanus,  
*minus*, quod sit Rex, qui ab illo omnem lucem suam mutuetur,  
omnem dignitatem habeat; Hinc ALEXANDRUM  
VI. Indias in duas partes divisas Occidentalem Hispanis, Orientalem  
Lusitanis donasse &c. &c. &c. Flosculi hi sunt, qui  
maxi-



maximam partem ex dictatibus GREGORII VII. & ex BONIFACII VII. & INNOCENTII III. Constitutionibus de majoritate & obedientiâ depromimus. Ne hilum quidem, addunt, contra immunitatem Clericorum nostra proficere argumenta ex tabulis sacris deprompta. Ad nauseam nos urgere dicitur Paulinum, Rom. XIII. quod exstet, ubi: *Omnia auctoritatibus eminentioribus h. e. magistratui politico subiecta esto.* Jam verò constare, quòd potestas ecclesiastica etiam sit *eminens*, imò *eminentior* laicâ, sensumque adeò hunc esse, omnem animam vel potestati *ecclesiasticæ* vel *politice* subiectam esse debere. Prius pertinere ad Clericos, posterius ad laicos. Vel, ita alii, locum hunc non tangere clericos, sed laicos saltem, haberi enim in origine græcâ vocem ψυχή, *animam*. Jam verò solos laicos esse *animales* & carnales, quos Apostolus *spiritualibus* contradistinguat. Ficulneum esse, quod ad prius regeramus, illum magistratum hic esse intelligendum, qui *gladium gerat*, hunc verò esse magistratum civilem. Jam enim & jurisdictioni ecclesiasticæ competere suum gladium, *spiritualem* nempe, scilicet excommunicationis, quem *frustra non gerat*, imò gladium *carnalem* subordinatum esse *spirituali* & ad hujus nutum esse exercendum. Id quod pateat ex verbis Petri, quæ Christo dixerit: *ecce duo gladii hic*, non respondisse quippe Christum, *nimis hoc esse, sed satis.* Nec, inquit Pontificii, urgeri contra immunitatem Cleri posse exemplum Christi, censum pendentis, cum pontem cum Petro transiret, qui ad urbem Capernaum vehit. Liberè enim Eum solvisse hoc tributum, solvisse in statu exinanitionis, qui exceptionem hîc à regulâ faciat. Id quod etiam reponendum sit ad exemplum adulteræ à Christo non condemnatæ Joh. VIII. & recusati officii Judicis civilis in divisione hæreditatis Luc. XII, 14. Nec valere & quicquam contra immunitatem Clericorum effatum Christi: *regnum meum non est ex hoc mundo.* Contrarium potius

potiùshinc patere, nam sensum esse hunc: *Regnum meum*, id est, Clerici, *mundanis magistratibus non subiecti sunt*. Imò nec objici posse alterum illud Christi effatum, — Pilato qui professus fuerit: *Non haberes potestatem super me, nisi tibi data fuisset* *ἀνωθεν*, hoc est *antecedenter*. Sensum non esse, Pilato potestatem hanc in Christum datam fuisse *cœlitus*, neque enim vocem *ἀνωθεν* præcisè inferre hoc. Occurrere hanc vocem in eodem Johannitici Evangelii capite de tunicâ Christi inconsutili, inde ab *ἀνωθεν*, hoc est, à supernâ quoque parte tali. Christum itaque Pilato voluisse dicere, nullam illi potestatem, physicam scilicet, in ipsum competituram, nisi illam *antecedenter* vel accepisset à Romano Imperatore, vel à Synedrio magno Judaico, quod Christum Pilato tradidisset. Neque enim de cœlo hanc potestatem datam fuisse Pilato, quod potius averfatum fuerit Pilati immane hoc facinus, vi Psalmi II, ubi: *Quare tumultuatae sunt gentes & populi cogitarunt inania?* & quæ sequuntur Act. IV, 25, 199. Verum quidem esse, quòd Christus edixerit Phariseis, solvendum ab ipsis Cæsari tributum esse, sed Pharisæos non fuisse veræ Ecclesiæ filios vel Clericos, sed spurios falsæ, maximam partem haud ex tribu Levi, sed aliis tribubus oriundos adeoque puros putos laicos. Paulum quidem appellâsse ad Cæsarem Act. XXV, 10, 11, sed non ex capite officii, verùm necessitatis & consilii. Eundem, quùm Christianis scribat, quòd obedientiam præstare debeant magistratibus politicis Tit. III, 1, Petrum, qui idem insinuet 1. Pet. II, 13, 14, scribere hæc saltem ad laicos, non Clericos. Denique nîl ajunt officere jurisdictioni ecclesiasticæ in corporalia verba Christi ad Petrum dicta: *Converte gladium tuum*, corporalem nempe, *in vaginam*, non enim dixisse Christum, abjiciendum ipsi esse hunc gladium, sed saltem hoc in casu non usurpandum, usurpandum aliàs, jussisse enim Apostolos, *gladios ut emerent*. Injurius forem in vestram eruditionem, *Auditores*, si prolixam datem operam somniis his-

ce refellendis. Parva requiritur salis & iudicii sanioris mica, ista ut diluantur. Diluam tamen in lectionibus privatis, quas mox in Theologiam polemicam anti-Pontificiam institutam. Nunc via mihi patet ad negotium illud principale, quod tractandum mihi est. Ita res habet. Immunes hodie sunt Clerici Pontificii à jurisdictione seculari, id quod contra omnia principia politica vergit & statum in statu format, merum civitatis monstrum. Soli subsunt Romano Pontifici & Episcopis suis, hoc forum agnoscunt, non aliud. Sed limes ipsis positus est in Galliâ. Gaudet Ecclesia Gallicana libertatibus suis, quas ipsi, quas Regibus vindicant Canones, sanctiones, Concordata, leges peculiare, queis superbit, Nullum Pontifici Romano jus est in Regum Galliæ temporalia. Absit, ut de Rege exauctorando vel subditis à juramento homagii liberandis cogitet unquam Pontifex. Nullæ Pontificum Romanorum Constitutiones recipiuntur in Galliâ, nisi à Rege & Parlamento examinatae, & approbatae. Licet Regi, licet Episcopis à Constitutionibus Pontificum ad Concilium generale appellare. Concilium hoc juxta Canones Ecclesiæ Gallicanæ supra Papam est, cujus infallibilitatem ista negat & pernegat, quicquid filii ipsius spurii, si & Jesuitæ sint, sentiant vel scribant. Licet & Ecclesiæ Gallicanæ Concilia nationalia & Provincialia, inconsulto Pontifice, agere. Censum Regi, qui de redditibus ecclesiasticis cognoscit, sub ementito nomine *doni gratuiti* in usus longè piissimos rei publicæ erogandi ex capite necessitatis & certæ aliâs executionis sive *directæ* sive *indirectæ* pendit Clerus Gallicanus. Si abutantur Episcopi, qui profectò Regi homagium præstant, juribus suis, jurisdictione ecclesiasticâ, quæ, si intra limites se contineat, tanta tecta manet, intervenit Parlamentum, cujus tamen partem quandam etiam conficiunt Clerici, sed sanioribus principiis imbuti, reprehendit, tollit abusus, punit, bonis



bonis suis sive redivibus temporalibus privat, carceri mancipat, in exilium agit inobedientes, refractarios Clericos. Magnæ hæ libertates, hæ privilegia sunt, quæ Rex Galliarum, quæ Parliamenta regia superbiunt. Non licet, in oratione academicâ in historiam literariam auctorum excurrere, qui de *libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ* scripsere. Laudaremus, si ita placeret, PITHOEOS, PUTEANOS, MOLLINÆOS, RICHERIOS, DE MARCA, LAUNOJOS, ARNALDOS, TALONIOS, BOSSUETOS, du PINIOS & quos non? Daremus rerum documenta authentica, daremus acta novissima, Canones novissimos Cleri Gallicani in conventu Sangermanensi A. 1682. constitutos. Sed, quò minus in hanc prolixitatem dilabamur, jubet cardinalis quæstio nobis ventilanda, *liceatne Clericis Gallicanis Sacramenta denegare illis, qui à Constitutione Unigenitus ad Concilium generale appellant, vel num potius abusus hic Cleri sit jurisdictionis ecclesiasticæ suæ, reprehendendus, puniendus à Parliamentis*, hoc est, iudicis regis supremis, quorum & hoc officium est, jura regni contra attentata sacerdotii defendere. Prolixæ sunt injuriæ, prolixæ ambages. Exstitit seculo superiore post MICH. BAJUM, Theologum Lovaniensem, Cornelium JANSENIUS, Episcopus Yprensis, qui peculiare systema de gratiâ & prædestinatione in *Augustino* suo, sic enim librum satis spissum inscripsit, condidit, ex AUGUSTINO maxime stabiliturus illud & principiis Pelagianis & Semipelagianis Jesuitarum oppositurus. Constat iis, qui controversias domesticas Ecclesiæ Romanæ nôrunt, varia in eadem celebrari de hoc argumento systemata *Molinistarum, Congruistarum, Thomistarum*, in quibus Dominicani eminent, *Augustinianorum*, qui gratiam *per se* efficacem defendunt, *Jansenistarum*. Operæ pretium, ut puto, est, nôsse horum systematum

matum

matum discrimina. Theologi eruditi hoc opus est, opus est  
lectionis prolixæ. Vixit circa finem seculi XVI. Jesuita  
Ulyssiponenſis LUDOVICUS MOLINA, qui, cum de  
gratiâ & prædeſtinatione novum condidiſſet ſyſtema, Triden-  
tino ſic ſat aſſine, ſed longè ingenioſius, abſolutum enim de-  
cretum & gratiam particularem ex iſto manantem cum uni-  
verſali combinavit, Congregationibus Romanis *de auxiliis  
gratiæ* ſub CLEMENTE VIII. & PAULO V. haud  
multo poſt habitis occaſionem dedit, ubi coram pontificibus  
his diſputarunt Jeſuitæ & Dominicani ſive Thomiſtæ, litem  
decidere non valentibus, vel ex capite prudentiæ, quam imi-  
tari debebant Succelliores, nolentibus, ſilentio utrique parti indicto.  
Proſtant harum Congregationum, harum diſputationum acta cu-  
riouſſima mox à Dominicanis, mox à Jeſuitis data. In æquilibrio  
ſtetit utrorumque applauſus, Major tamen Theologorum Gallorum  
pars AUGUSTINO manus dedit, qui, licet ſubinde con-  
tra Manichæos ſcripſerit, quæ gratiæ univerſali favent, mul-  
to tamen plura, cùm adverſus Pelagianos ſtylum verteret,  
dedit, quæ abſoluto decreto & gratiæ particulari patrocina-  
tur, vertumnus in dogmate hoc, cùm ingenio rhetorico ma-  
gis, quàm ſyſtematico polleret, ita quidem, ut & *Moliniſtæ*  
& *Congruiſtæ* & *Thomiſtæ* & qui gratiam *per ſe* efficacem  
ſtatuunt, & *Janſeniſtæ* illum in partes trahant. Modum  
exceſſiſſe viſus fuit JANSENIUS, quem nominavi. Hinc  
ad Pontifices itum, qui ipſius dogmata bullis ſuis condemnâ-  
runt. Cauſati fuere Janſeniſtæ, propoſitiones damnatas in  
JANSENI *Auguſtino* non inveniri, ſaltem alio ſenſu à  
JANSENIO ſcriptas, ac quo damnatæ eſſent, Pontificem  
non eſſe infallibilem *in factò*, qui ne quidem infallibilis  
*in jure* juxta mentem Eccleſiæ Gallicanæ ſit. Surrexit vel  
tandem ſub initium hujus ſeculi PASCHASIUS QUES-  
NELLUS, Oratorii Pariſienſis Presbyter, Vir eruditione

clarus, opera enim LEONIS M. cum dissertationibus eruditissimis & Codice Canonum Ecclesiae Romanae jam ediderat, qui Gallico idiomate *reflexiones morales & asceticas* in N. T. scripsit, in Germanicum quoque & Latinum aliasque linguas fufas. Maximo applausu exceptus fuit liber tersè scriptus & cum unctiōe, quæ corda tangit, ut Galli loqui amant. Videbatur Jesuitis Vir doctus in illo sparsisse Jansenismi semina. Hinc, cum hæreseos hujus passim ab illis insinularetur, Parisiis excedere consultum duxit atque locum querere, ubi securus à persecutione degerere posset. Sed Bruxellas cum venit, jussu Archiepiscopi Mechlinensis carceri mancipatus per foramen muri, quem ad latus domus aperuerat forte affecla, vidi hoc foramen, cum Bruxellis versarer, ægrè in Belgium evasis foederatum, ubi virum cum sociis quibusdam Sorbonicis alloquendi & penitus cum illis conversandi mihi copia fuit. Effecerunt tandem Jesuitæ, ut Papa CLEMENS XI. homo apprimè doctus, uti homiliae ejus & epistolæ in unum volumen coactæ eaque, quæ actis sanctorum Antverpiensibus inseruit, ex quibus & eruditio ipsius Græca patescit, ut theses illæ inaugurales, quas Romæ anno 1703. nepoti suo ex fratre, utpote minorenni, Cardinali postea ALEXANDRO ALBANI pro summis in Philosophiâ & Theologiâ honoribus adipiscendis disputaturo, quarum & fragmentum in dissertatione pro gradu meâ Tubingæ anno 1717. defensâ dedi, ex quibus & patet, Pontificem hunc purum purum *Molinistam* fuisse, confecit, docent, effecerunt, inquam, tandem Jesuitæ, referendum enim orationis filium est, ut CLEMENS XI. Constitutionem, quæ à primâ voce *Unigenitus* dicitur, ederet, quæ extractas è libro Quæsnelliano propositiones, subinde & male extractas damnavit, mitteretque ad Galliarum Regem LUDOVICUM XIV, rogaretque hunc, ut Constitutionem  
hanc

hanc acceptaret & ipse & ab Episcopis & Parlamento acceptandam curaret. Contradixere mox hi & illi Episcopi, contradixit Parliamentum, Archiepiscopus maximè Parisiensis LUD. ANT. NOAILLIUS, cujus prolixo favore, cum Parisiis versarer, usus olim fui, satque, licet omnia QUESNELLI non approbârint, quæ nec nos approbamus omnia, absolutum enim decretum & gratiam particularem & irresistibilem statuit, certatim usi privilegio suo à Constitutione hæc Pontificiâ ad Concilium generale appellavere, uti instrumenta appellationum docent, quæ ante plurima lustra Tubingæ in unum volumen compacta edidi. Videbantur hæc esse exequivæ Constitutioni itæ, sequela planctûs, qualis *unigeniti* est Zach. XII, 10. At, cum instaret Pontifex, quem verò, cum vidisset, tantas turbas hinc ortas, facti, uti certo certius novi & in dissertatione contra hanc Constitutionem editâ dudum observavi, profus penituit, qui & si saltem Constitutionem tam levem atque inconsultam, cujus lineas ipsi porrexerant Jesuitæ, legisset cum attentione ipse, absque dubio rejecturus erat, maximè, quod verba formalia scripturæ sacræ & Patrum, quos malè vocant, & veritates manifestæ in homiliis quoque Pontificis hujus, ut aliàs ostendimus, inveniendæ, & theses in sensu Quesnelliano innocentes, itemque problematicæ, naturâ nullis aliis anathematis subiacentes, in illâ damnatæ essent, cum, inquam, instaret apud Regem Pontifex, qui verò in homiliis suis fallibilitatem suam, imò errores, ut alibi observavimus, fatetur ipse, sensim sensimque Episcopi terga cœperunt vertere, donec vel tandem, habenas regni capiente sub LUDOVICO XV. Cardinale FLORIO, Molinistâ, Jesuitis amicissimo, Episcopi juberentur, appellationes suas revocare, & qui revocare nolabant, reditibus Episcopalibus privarentur, & in exilium vel arrestum migrare cogerentur. Hem! quàm occupat mortalium pectora redituum & quidem pinguium, quales Episcoporum Gallorum valdè sunt, amor! Spi-

ritus Cardinalis FLORII convertit animos , ut , qui antea ad Jansenismum inclinare videbantur , verterent vela , & orbis Gallicanus aliam planè faciem spiritualem sibi indueret , atque appellationes omnes ad Concilium atro notarentur lapillo , licet inferioris Cleri copia istis adhæreret adhuc & plebs quoque multa , & magnus ille apud Gallos Thaumaturgus FRANCISCUS PARISIUS , quem , licet olim appellantem , nec hodiè exhumat gens lepida , qui cum in odore sanctitatis , quod ajunt , ex nimis jejuniis & austeritate vitæ ante diem decessisset , post mortem infinitis miraculis claruisse dicitur , quibus & quidem coram judiciis ecclesiasticis & secularibus certificatis & juramenti firmatis , mirum quantum , superbiunt Jansenistæ . Horum , ut vel tandem ad plenam interneccionem peteretur jugulum , ut eradicaretur penitus gens hæc hæretica , hoc stratagema , de quo antea ne per somnium quidem cogitârat , excogitavit , monente Archiepiscopo Parisiensi , Clerus Gallicanus , neminem ad sacramenta Ecclesiæ admittendum , qui à Constitutione ad Concilium appellaret , & Sacerdoti appellanti vel de appellatione suspecto , cujus generis Sacerdotes Archiepiscopus autoritate confessiones audiendi privavit , confessus esset , viaticum quoque sacrum atque unctionem extremam denegandam his moribundis , honestâ sepultura privandos illos . Intolerabile hoc visum Parliamentis Gallicanis , Parisiensi maximè , quod , licet Constitutionem Pontificiam ad mandatum Regium tabulario suo intulisset , eandem tamen tanquam *regulam Gallicane fidei* acceptavit nunquam , nunquam & , quæ libertatibus Gallicanis infesta in illâ jacent , animadvertit itaque in Clerum sacramenta denegantem , animadvertit in Episcopos , Cleri minoris defensores . Hinc itum ab Episcopis ad Regem , qui infensus primùm Parlamento illud rariore exemplo in exilium egit , postmodum persuasus aliter à Præside de MAUPEOU , Viro magnæ constantiæ & eloquentiæ , centum ferè annorum

fend





fene, revocavit ab exilio Parlamentum, atque silentium Clero,  
 silentium & Parlamento inunxit, nodum Gordiam gladio  
 ALEXANDRI M. soluturus. Sed nec Clerus, nec Parla-  
 mentum filuit. Non ille, qui in appellantes sævire perrexerit,  
 non hoc, quod animadversiones suas in Clerum continuavit,  
 Prostant hanc in rem Episcoporum libelli & literæ ad Regem  
 datæ, typis exscriptæ, quas ad rogum damnavit Parlamentum,  
 prostat magna aliorum libellorum copia, qui hanc in rem in  
 Galliis cottidiè prodeunt, & quorum indicem aliquando da-  
 bit novus Goettingensium ilque Juris Professor WAL-  
 CHIUS. Fervet miris modis controversia, Rex mox ab  
 Episcopis, mox à Parlamento in partes trahitur. Inter sacrum  
 & saxum, quod ajunt, hærent consilia. Ad Pontificem litem  
 vel tandem Rex, qui antea negotium peculiari Commissioni, ex  
 Clericis & Politicis constanti frustra demandarat, detulit,  
 Pontifex Congregationi euidam Cardinalium tradidit discu-  
 tiendam illam, ipse, quid agendum, quid respondendum sit, pro  
 infallibilitate suâ dubius. Si quidquam opinari hinc Theologo  
 Protestanti licet, non arbitror consultè factum, ut res ad  
 Pontificem deferretur. Agitur de libertatibus Ecclesiæ Gallica-  
 næ, quibus pontifex non potest non esse infensus, agitur de  
 receptione universali Constitutionis *Unigenitus* tanquam *regu-  
 lâ fidei* in Galliis, quam respuit Parlamentum. Hinc enim  
 tandem totalis redit. Videbimus, quid ex tripode, quid ex  
 cathedrâ dicturus, quid pronunciaturus sit Pontifex, Non  
 juvat hinc eruditio, quâ pollet BENEDICTUS XIV. sed  
 prudentia, quæ, si vitat Charybdin, in Scyllam opus est  
 ut incidat, & vel Parlamentum vel Clerum affligat, quod  
 utrumque aula Romana, quæ hodiè à violentis principis in  
 ejusmodi casibus abhorret, evitare contendit. Non juvat indictio si-  
 lentii. Silebit utrique Parlamentum, si Clerus, si Episcopi sileant. Sed  
 nunquam silebunt hi, qui toties & ad nauseam usque inculcant,  
 sibi

sibi hanc potestatem à Christo datam, à nullo magistrato laico intervertendam, de administratione sacramentorum disponendi. Sed, ubinam, quæso, hæc potestas arbitraria ipsi à Christo data est? Monstrent, precor, ex tabulis sacris decretum. Si verum est, quod dicit aliàs gens Pontificia, magistratum laicum Episcopos & Pastores constituere non posse, vocatio ipsorum, quæ nominante Rege fit, Pontifice licet bullas, sed necessariò expediente, vitio & ulcere laborat insanabili, omnesque ordinationes, quæ in Galliâ peraguntur, ipso facto sunt nullæ, nulla canonica successio. Porro, quid est, quòd sacramenta denegant hominibus laicis, qui subtiles illas controversias, Jansenianas puta, nec nôrunt, nec comprehendere valent. Semper aliàs in Ecclesiâ Gallicanâ obtinuit libertas, de gratiâ & prædestinatione hoc vel illud systema adoptandi. Quid est, quòd libertates regni, libertates Ecclesiæ Gallicanæ, ab ipsis Episcopis sic pedibus conculcantur? Quid est, quòd auctoritas Pontificis Romani in Galliâ sic novis & inauditis modis stabilitur, minuenda ab Episcopis potiùs, quàm stabilienda, quàm ornanda. Non siviisset hoc unquam LUDOVICUS XIV. cujus notæ sunt cum INNOCENTIO XI. contentiones. Imitantur Episcopi Galli gallos factitios in turribus, qui ad flatum ventorum se mox hùc, mox aliorsum vertunt. Nonne fatius foret, propositiones QUESNELLI damnatas ita explicare, ut & Molinistæ explicationi huic adhærere possint, quod olim fecit Episcopus Metensis, sic ex toto hoc labyrintho pateret exitus, vel, si hoc displicuerit, Constitutionem, cujus ipsam CLEMENTEM XI. ut supra diximus, peenituit, in aliis terris Pontificiis nullis nec in Germaniâ quoque receptam, ad æternas damnare tenebras & perpetuo involvere silentio, patique, ut *sua* quidem, hoc est, Romanâ

*se jactet in aulâ*

*Æolus, & clauso ventorum carcere regnet.*

Si

Si juxta Canonem VI. Concilii Nicæni, est, cur non sequimur Concilii Oecumenici dictatum? pronunciandum sit, non liceret Episcopo Italo transvolare Alpes, & ultra has jurisdictionem suam extendere, ultra quas ne quidem primitus Christianismum plantavit, sed dividenda esset Europa, uti Oriens, in Patriarchatus à se invicem independentes, creandi essent Patriarchæ in Permaniâ, in Galliâ, in Hispaniâ reliquisque Europæ regnis, Viri ejusdem dignitatis, toto Cardinalium Collegio sanè eminentiores. Laudâris tu forsân & felicem prædicâris Germaniam, si primipilarem, si magnum & illustrem tot virtutibus Archiepiscopum, quo Moguntina sedes superbit, Patriarchali mitrâ fulgere conspiceres. Forsân pareretur sic via ad superstitionem in exilium successivè agenda omnem, ad pacem Ecclesiæ dandam, ad portas Evangelio Christi aperiendas. His ita præmissis miramur constantiam Archiepiscopi Parisiensis, quem, nî totus fallor, nepotem ex fratre FRANCISCI RENELONI, Archiepiscopi olim Cameracensis, acerrimi Jansenistarum hostis & celeberrimi illius in Galliâ *amoris puri* defensoris, qui *placita sanctorum* scripsit, sub nomine Abbatis de BEAUMONT ante hæc octo lustra, cum Cameraci paulisper hærerem, nôsse penitus mihi contigit, miramur inquam, constantiam Archiepiscopi hujus Parisiensis, qui Confluentis in Tusculano suo Archiepiscopali haud procul Parisiis adhuc degit exul, & ne hilum quidem de prætenis Clericorum suorum juribus remittit. Jam & prodiit in nuperis nundinis Francofurtanis spissum, sed levissime opus Viri laici, SCIPIONIS MAFFEJI, amici olim, cum in Italis, cum Augustæ Taurinorum versarer, cum Veronam transirem, valdè mei, qui verò deinceps in amicas lites mecum descendit, ubi Constitutionem *Unigenitus*, quam supra atro carbone notavi, prolixissimè defensum ivit. Minor, Polyhistorum, eruditione aliâs, antiquariâ maximè, clariss.

rissimum, veterem laicum in castris Theologicis, quæ re verè non calluit, militare vel tandem, mortuus enim haud ita pridem est, voluisse. Ast calcæ addidit, cui opus hoc suum Parisiis olim obtulit manu scriptum, Cardinalis FLORIUS, qui in laudes illius, vix per transennam inspecti à se, totum se exonerârat, dignitate, quàm eruditione infinitis parafangis eminentior. Quod restat, nescio, num, quæ hætenùs diximus, ad jus ecclesiasticum publicum Gallicanum latius explandandum aliquid afferre lucis visura sint sapientibus.

Sed opus vel tandem est, ut manum, ut linguam de hæc tabulâ, de hæc cathedrâ tollam. Tædium vobis in auscultando succrescere video, *Auditores omnium Ordinum honoratissimi*. Redeo itaque ad id, unde initium dicendi feci, ad preces, ad vota.

TIBI, DEUS OPTIME, MAXIME, toto pectore gratias easque immortales ago, quod ab unguiculis, quod in tot itineribus meis, quod usque ad hanc ætatem, quam attingi, salvum servasti me, quod laboribus meis in emolumentum Ecclesiæ Tuæ, quam amas, & Academiæ patriæ exantlatis abundè benedixisti, quod è tot maris naturâ sua turbulenti & injuriæ procellis salvum me evadere in portum hunc Giessensem iussisti. TIBI, quicquid adhuc mihi superest, virium & vitæ, totum consecro. TUA gratia me refocillet, TUA manus, TUUS nutus me ducat, precor.

Sed & salve jam denuò, iterumque & millies salve terrarum harum, Universitatis hujus DOMINE SERENISSIME Idemque CLEMENTISSIME. Benè novi, TE gratias à me nullas velle, hoc enim abundè satis mihi testatum fecisti, quùm primùm TE adirem, in Supplebo gratias, quas debeo,

debeo, precibus meis, queis cœlum tundam, ut faveat TIBI, ut largiatur felicissimum regimen, ut largiatur annos Nestoreos, ut benedictionis omnigenæ pelagus in TE depluat. Ita verò TE, DOMINE CLEMENTISSIME, DEUS perpetim amet:

Jam &, redeundum enim mihi & est ad preces in patriâ haud ita pridem factas, serva, salva, O DEUS, SERENISSIMUM Wirtembergiæ DUCEM, CAROLUM, quem, Dominum olim meum, sanctâ, quem prolixissimâ devotione prosequar, dum spiritus hos artus meos reget.

Serva, salva & *Musas Tubingenses*, meus olim, quas semper in pectore geram.

Salva, serva & patriam meam dulcissimam, ossa licet hæc mea non tecturam.

At & vos denuò salvete, *Gießenses Muse*, Theologica maximè. Non annunciabo vobis Deos novos, absit, sed exponam vobis purum Evangelium Christi, ducamque vos in omnis eruditionis Theologicæ latifundia. Amate me, amabo & vos. Sic in mutua ruemus oscula. Salvete itaque, quod iterum iterumque repeto, salvete & Vos millies, vigete, florete, valete, creseite & multiplicamini, &, si ita quidem videtur vobis jam, plaudite quoque.

DIXI.

10  
E O E  
dico, presbiter meus, quod celum tangam, in foveam TIBI,  
in signum laborum regnum, in lignum super foveam  
meam, ut presbiter meus omnia regna in TE desinat, hoc  
vero TE DOMINE CEMENTISSIME DI. O. pape.  
in auctor.

Jan & recondendum enim illi & ad presbiter in foveam  
ita videtur factus, salva, salva, O. D. O. SERRINISSE.  
MOM. W. reconditur DUCITUR, C. A. G. L. U. M. G. O. M.  
Dominum enim meum, tamen, quod reconditur reconditur  
presbiter, dum presbiter hoc aut presbiter regit.

Salva, salva & Maria Salvatoris, mea enim, qua  
semper in hoc se geram.

Salva, salva & pariam meam delictis meis, esse licet hoc  
mea non recedam.

At & vos debet salvere, & in foveam, Theologicis  
maxime. Non solummodo vobis hoc novus, ablat, sed expo-  
nam vobis primum Evangelium Christi, tamenque vobis omnia  
evangeliorum & theologicis sententias. Ad hoc me, & vobis  
sic in multa sententia ostendit. Salvo tamen, quod tamen in  
tunc presbiter, salva & vos a illis, viget, horis, vobis  
evangelio & multiplicatam, & in quibus vobis  
vobis jam, plaudite quodam

DIXI



Kh 1470

ULB Halle

3

006 805 973



Wort

TO 18

920









CHRISTOPH. MATTHÆI PFAFFII,  
S. THEOL. DOCT. FACULT. THEOL. GIESSENSIS  
ANTECESSORIS ET DIRECTORIS, ACADEMIÆ GIESS.  
CANCELLARII, ET ECCLES. HASS. GENERALIS  
SUPERINTENDENTIS

# ORATIO INAUGURALIS

DE  
PRÆSENTI, QUÆ INTER PARLAMENTUM  
ET  
CLERUM GALLICANUM  
AGITATUR.

## CONTROVERSIA,

RECITATA,

CUM MUNERA SUA ADIRET

GIESSÆ D. 28. MAJI  
ANNI MDCCLVI.



GIESSÆ,  
APUD JOH. PHILIPPUM KRIEGER  
1756.